GRAECIA;
CONTINET PRÆCIPVAS REGIONES,
ALBANIAM, MACEDONIAM,
Epirum, Achaiam, & Moream,

Rector Græciæ vocatur Vromeli Beglerbey, id est Romanorum principum Rex, præest enim omnibus regionibus, quas in Europa habet Turca, quæ nouæ Romæ Constantinopoli subiectæ fuerunt. Hic sub se habet 40. Sangiagler siue Sangiacos, qui sunt Capitanei copiarum equestrium ex Spachoglanibus electi, et in principalibus ciuitatibus prouinciarum commorantur ad continendum eos in officio & pace, ipsis q; subsunt 150. Sobasci Cimmeriotæ, aut plures, qui sunt quasi vicarij per minora oppida distributi. Sub his autem Sangiacis 30000. Spachi sunt, quorum quilibet tribus aut quatuor equis meret. Et sunt hi Spachi per flamboler, hoc est, vexilla distributi, quæ 200. 300. 400. aut 500. equites continent.

Inter Sangiacos potentiores sunt rector Modenæ, qui præest toti Moreæ, qui ad mandatum Beglerbey mille equites adducit, quos suo stipendio sibi deuinctos habet. Item gubernator Bosnæ habens 800. equites, & Thessalonicæ habens 500. equites, quorum 100. perpetuò penes se seruat, reliquos monitus Turcæ in subsidium mittit. Sunt præterea sub hoc Beglerbeyo Sangiacis subiecti 20000. equitum, qui Tymariotæ vocantur, quod ex Tymar, hoc est ærario Imperatoris stipendia habeant. Et item 60000. Akengi siue Acconti, id est fatales siue periclitatores, qui liberi & exempti à contributionibus absque vllo stipendio equites seruiunt, victum præstantibus ciuitatibus per quas transeunt; sunt prædones, grassatores & vastatores. Sunt etiam multi feudatarij Mosselin dicti, qui aliquando ad 60 milia equitum & magnum peditum numerum colliguntur. In Asia sex sunt Beglerbey, de quibus ibi dicemus.

Medius meridianus 50. 0. ad quem reliqui inclinantur & accedunt pro ratione parallelorum 38. 0. & 42. 0.

GERARDUS MERCATOR *Atlas sive Cosmographicæ Meditationes de Fabrica Mundi et Fabricati Figura* DUISBERG, 1595 THE LESSING J. ROSENWALD COLLECTION, LIBRARY OF CONGRESS Octavo